

**www.e-rara.ch**

**Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...**

**Humel, Johann Henrich**

**Tiguri, 1670**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Sermo XLVI.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

tos, inimicos Ecclesiæ, &c. Hæc est admiranda regni ejus administratio.

U s u s.

Vide ergo cliens fias regni hujus; hoc si obtineas, tunc quicquid adversi obtingat, certus eris, omnia in bonum & salutem tuam dirigi & converti.

4. Subditos suos defendit.

7. Rex est, qui pugnat pro regno suo, ut id defendat contra omnem vim & injuriam, omnesque rectas machinationes confundat, & hostes regni ulciscatur, Psal. 45: 3, 6. *gladium suum accingit heros*, & Apoc. 19: 11. equo albo insidet amictus vestibus sanguine rubentibus, quem sui sequuntur, vers. 16. adeo ut is sit, qui armatus pugnat pro Ecclesia sua, ut eam defendat, & tandem honore & gloriâ coronet.

U s u s I. Subditorum consolatio

I. Id quod omnibus regni hujus clientibus magno est solatio omni tempore, loco, statu, quod nempe sciunt talem Regem pro se certare, seque tueri contra hostes vaferrimos consilio, potentissimos robore. En Regis oculi ut ignis flammaram, pedes ænei, manus ferreæ, Apoc. 1: 5, 16. *Consistere & spectare salutem Jehova, quam edet vobis hodie*, &c. *Jehova pugnabit pro vobis, ergo quiescite*, &c. ait Moyses Exod. 14: 13, 14. sic in quovis casu, &c.

U s u s II. Inimicorum consternatio.

II. Prout verò solatium affert regni clientibus, sic terrorem incutiat omnibus impiis hostibus regni Jesu Christi, Regis cœlestis; prout enim pugnat pro amicis, sic inimicos oppugnabit vi & robore, usque dum eos deleverit. *Fugiamus*, inquit Ægyptii, *nam Dominus pugnat*, &c. Exod. 14: 25. Utinam hoc perpenderent omnes hostes Jesu Christi, quod scilicet fugandi & propulsandi sint suo tempore à facie Domini, si in inimicitia & malitia contra ipsum perrexerint, pacem utique conciliarent cum Domino, se ipsi subjicientes. Prout Jehu 2. Reg. 10. 1, 2. sic hîc certum, nullum contra ipsum valere robur; non unum tantum aut alterum, sed Reges plurimos, qui se ipsi opposuerunt, contrivit, Psal. 105: 14. Qui ergo resisteres, si ipse insurgit contra te? Josua, cum Reges inimicos devicisset, suos vocavit, qui colla inimicorum calcarent, Jos. 10: 19. seqq. Sic non desister noster hic Josua, usque dum hostes posuerit scabellum pedum nostrorum, Psal. 110: 1. eos servis suis dabit proculcandos, Rom. 16. Considerent hoc omnes, qui se hucusque huic Regi opposuerunt, hoc corrigant; amicitiam ejus omni studio quærant, seque, ut decet clientes regni Jesu Christi, gerant; & sic fruuntur fructibus unctionis ejus ad triplex munus gloriosum, de quibus jam porro dicendum.

Fructus unctionis Christi duplex.

V. Qui ergo tandem sunt fructus hujus unctionis? Duplices inde fructus capimus:

a. Participes simus donorum Christi: dum enim Christiani dicimur, unctus ejus populus sumus, Act. 11: 26. ipse unctus est ut caput, nos ut ejus membra, prout Psal. 133: 2. A haron unctus est, oleum fundebatur in caput, postea defluebat in membra, &c. Sic in hac unctione

oleum primò capiti infunditur, inde ad membra etiam ima & minima descendit.

U s u s.

Itaque quotidie contendamus quàm maximè, ut cum Christo uniri, ei incorporari, eiusque membra fieri possimus, & dona à capite abundè in nos defluent. Videmus in distillationibus aquarum preciosarum, eas per tubum guttatim delabi in vas suppositum, adeo ut tandem impleatur; ita si semel sumus in Christo Jesu, faciet ut destillent in nos continenter dona sua, licet omnia semel & simul capere nequeamus, tamen fiet quasi guttatim, & sic implebimur, &c. Et hic primus fructus.

b. Participes etiam sumus inde dignitatis & honoris ejus personæ; secum enim in hanc dignitatem omnia membra recipit, ut sicut ipse est Propheta, Sacerdos, Rex, ipsi quoque tales fiant, non quidem ad modum terrenorum; prout enim ipse confiteretur, regnum suum non esse de hoc mundo, sic nec regnum Christianorum. Qui ergo Reges sunt? Regnum habent in omnes creaturas, 1. Cor. 3: 22. non quidem, ut Christus, absolutè, Hebr. 3: 6. sed ex gratia, ut filii adoptionis, Eph. 1: 5. Præsertim verò Reges sunt spirituales, qui non amplius in se regnare patiuntur carnem & sanguinem; licet enim Rex mundanus auro, holoserico vestiretur, peccatum verò non subigeret, Rex non esset, sed servus & mancipium; ii verò digni sunt, qui hoc nomen & axioma gerant, qui, ut supra explicatum, *Propheta, Sacerdos & Reges* sunt, &c. ad quod redempti sumus per Christum, Apoc. 1: 6. & 5.

## SERMO XLVI.

Textus idem, Philem. v. 4. 5.

**Ε**υχαισὸ τῷ Θεῷ με πάντοτε μέγαν σε ποιέω, ὅτι ἐπὶ τῶν δεσπουχῶν με ἄκων σε τὴν ἀγάπην καὶ τὴν πίστιν, ἣν ἔχεις πρὸς τὸν Κύριον Ἰησοῦν, καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους.

4. **G**ratias ago Deo meo, semper mentionem tui faciens in precibus meis,  
5. Quod audiam tuam charitatem ac fidem, quam habes erga Dominum Iesum, & erga omnes sanctos.

Exordium desumptum ex Coloss. 3: 17.

**H**ucusque Dei gratiâ explicavimus primam partem hujus Epistolæ, nempe Præfationem seu Introitum; ubi habuimus,

1. Inscriptionem, quæ continet  
a. Efficientem hujus Epistolæ causam secundariam, seu quis eam scripserit; *Paulus & Timotheus*.

b. Objectum, Cui scripta, *Philemoni, Apphiæ, &c.*

2. Salu

2. *Salutationem* seu gratulationem, in  
cujus explicatione proposuimus

a. Dona optata, *Gratiam & Pacem.*

b. Donatorem, *Deum, Patrem nostrum.*

c. Mediatorem, per quem omnia, *Dominum nostrum Jesum Christum.*

Argumen-  
torum in  
verbis in-  
scriptionis  
implicitè  
contento-  
rum expli-  
catio.

Explicationi *Præfationis* inscriptionis  
Epistolæ diu immorati sumus, non tamen di-  
rius quàm postulavit necessitas; nam adhuc in  
ea occurrit observatum dignum, quod nondum  
proposuimus, Apostoli nempe vis oratoria,  
quam in ea adhibuit, ut Philemonem ad rece-  
ptionem Onesimi commoveret; nec enim ul-  
lum verbum in tota *Præfationis* serie occurrit,  
quin causam impellentem habeat & argumen-  
tum.

1. *Paulus*; quem nōsti, cuius nomen us-  
quequaque apud vos clarum, &c. Is est qui pe-  
tit; quī ergo recusabis mihi petenti?

2. *Paulus vincētus*, & quidem *Jesu Chri-  
sti*, is est qui deprecatur pro Onesimo, & num  
aures obstruere ad vota deprecationis talis, re-  
cusando petita?

3. *Et Timotheus* unā cum Paulo; vis  
unita fortior, consentiunt in petita iusta pi-  
Ergo.

4. *Commilitones* & collaboratores su-  
mus, frui ergo nos laboris communis fructu  
concedas, &c.

5. *Fratres* sumus, dilecti tui, quī ergo re-  
cusares? &c.

6. *Apphia* quoque mentionem facit, ut  
& hanc Philemonis uxorem ad favorem in  
Onesimum servum commoveret; pia quippe  
uxor multum potest apud maritum.

7. *Archippi commilitonis* & conciona-  
toris ibidem quoque fit mentio, utpote cuius in-  
tercessio multum possit pro Onesimo; tui uti-  
que Pastoris mediationem non repudiabis.

8. *Ecclesia domestica* tota verbum inter-  
ponet pro servo jam converso.

9. *Gratiam* tibi apprecor, & quī renue-  
res gratiam Onesimo?

10. *Pax vobiscum*; pacem & remissio-  
nem habetis ex gratia omnium delictorum, &  
quidnī remitteres debita servo tuo?

11. *Pater* noster Deus est, & nos tractat  
ut filios Pater, non aeternum irascitur, Psal. 103:  
9, 10. quidnī naturam ejus imitareris?

12. *Jesus Christus Dominus* noster est, nos  
servi, nobis peccata condonat; & sic agas cum  
servo tuo, Deus remittit ex gratia per Christum,  
cœlestem sequamur Patrem, debemus *μιμῆσαι  
τὸν θεοῦ πατέρα*, inquit Chrysostomus in hunc  
locum.

Videtis, nullum esse verbum in hac in scri-  
ptione, quod non apprimè faciat ad Apostoli  
propositum in hac Epistola, cuius deinceps ven-  
nit Epistolæ explicanda

SUBSTANTIA, quam Deo adjuvan-  
re, jam proponemus, quæ est à v. 4. ad finem.

In hisce *prælectis* verbis habemus Apo-

stoli sapientem insinuationem, quâ Philemo-  
nis cor quasi obsidere & expugnare satagit, ut  
ne petitio consequens irrita fiat, dum sic chari-  
tatem intimam erga ipsum in fructibus ejus gu-  
standam proponit, quorum duos hic nominat.

I. *Congratulatio* est, quâ sese toto lætari  
animo ob statum ejus benedictum & dona di-  
vina significat; idque manifestat per seriam  
gratiarum actionem ad Deum suum pro tantis  
beneficiis.

II. *Supplicatio*, quâ manifestat, quàm ar-  
dentibus semper precibus Deum sollicitet pro  
eo, adeò ut preces nullas fundat, quin in ipsis  
ejus faciat mentionem.

Non solum autem sic simpliciter manife-  
stat charitatem suam ex fructu *congratulationis*  
& *supplicationis*; sed simul indicat *Causas*  
utriusque, ubi indicat, quid se moveat ad gratia-  
rum actiones & preces tam ardentes:

a. *In genere*: vers. 5. quòd audiam tuam  
*charitatem & fidem*, &c. ideo gratias ago Deo,  
&c. ideo precor, &c.

b. *In specie* indicat,

1. *Pro quibus rebus oret*, quæ precationis  
*materia*, vers. 6.

2. *Pro quibus gratias agat*, & quid ipsum  
speciatim moveat, vers. 7.

De hisce autem singulis etiam speciatim  
suis locis, bono cum Deo, agemus. Hac vice  
*generatim* de hisce simul universis in prælectis  
verbis contentis.

Quibus Apostolus compendio vult dice-  
re; Dilecte Philemon, quàm fraternè & ex ani-  
mo ego & Timotheus te amemus ac totam do-  
mum tuam, ex hoc colligere potes, quòd non  
solum omnia bona corporis & animæ, Dei gra-  
tiam & pacem à Deo Patre per Jesum Christum  
voveo & opto; sed & ex eo, quòd nunquam  
intermitto gratias agere Deo pro te, mentionem  
tui semper faciens in precibus; quoties loquor  
cum Deo, in quo solo confido, mecum es; id-  
que non sine gravi causa facio. Quotidie enim  
ex Ecclesiis percipio & in audio de eximiis do-  
nis Spiritus sancti in te habitantis, de pura &  
minimè fucata fide tua in Dominum Jesum, &  
de ferventi & sincero amore, quem omnibus  
sanctis testaris, ope & auxilio tuo subin de indi-  
gentibus. Hæ rationes sunt, dilecte Frater, pre-  
cationis meæ pro te, &c. Et hæc est summa  
hujus Apostolicæ *insinuationis* in verbis præ-  
lectis; quæ nobis hic utilem & hisce tempori-  
bus necessariam præbent doctrinam.

Δ. Cum Paulus de eximiis donis Dei in  
Philemone inaudisset, gaudet & Deo gratias  
agit: hinc colligimus; *Quomodo omnes Chri-  
stiani, Ministri verbi præsertim, toto pectore  
lætari, imò Deum in cœlis glorificare debeant,  
cum vident vel audiunt fratribus & sororibus  
in fide, & veris Evangelii professoribus bene esse  
se; si intelligunt, ipsos crescere in omni bono, do-  
nis Spiritus sancti, in Christianismo, fide &  
charitate, &c.* Prout id clarissimè videmus in

Paraphra-  
sis.

DOCTRINA.  
Gauden-  
dum est de  
aliorum  
progressu in  
bono.

Exempla.

præsenti loco, in quo Apostolus cum gaudio Deo gratias refert de prospero & beato Philemonis statu, &c. Id quod etiam videre licet alibi.

Rom. 1: 8. inquit Apostolus: *Primò quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum, &c. ad vers. 13.* Vide, quantopere Apostolus lætetur, quàm animitus Deo gratias agat, propterea quòd audiverit de fide Romanorum, &c. Dicit *primò quidem*, quasi dicat, multa quidem habeo necessaria scribere vobis, at hoc proximè cor attingit, ut vobiscum gaudeam propter fidem vestram, & Deo gratias agam, ipsumque laudem. Imò Apostolus Deum testem invocat de hoc; testatur Deum, cui servit, quòd ipsos verè diligat, eorumque memor sit, vers. 9. Quasi dicat, Scio quosdam fore ex vobis, qui id in dubium vocent, vobisque aliter persuadere conentur, quasi minimè vos mihi essetis cordi: At Deus novit, quem testem voco. Videte *ἐν παροιδῶ*, quàm vix ac ne vix quidem sæpe auditoribus persuadeamus, ipsos, quos hortamur, corrigimus, carpimus, charo tamen nobis esse, &c.

Rom. 6: 17. gratias agit Deo, quòd obediant Evangelio, &c. Confer 1. Cor. 1: 4. & 4: 8. Eph. 1: 15, 16, 17. Phil. 1: 3. seqq. Col. 1: 3. 1. Thess. 1: 2. 2. Thess. 1: 3.

Et ut Paulus hisce locis omnibus exultat spiritu ob fidem & dona aliorum, & imprimis suorum auditorum; Sic etiam Ecclesiæ in Judæa fecerunt propter Paulum, cum auditione percepissent ipsum conversum ad fidem in Christum, imò prædicatorem fidei illius factum, cujus persecutor antè fuisset strenuus, *glorificabant Deum* omnes, prout ipse testatur Gal. 1: 22. seqq. Johannes Apostolus scribens ad *electam dominam*, quam dilexit in fide & charitate, idem fecit, 2. Joh. v. 4. Ubi gaudet & quidem *maximè, διὰ*. Qua, quæso, de causa? *Quia reperi ex filiis tuis, qui integrè ambulant, &c.* Laudat itaque hanc Electam, quia filios docuit: quid? non orium, non lascivam saltationem, vanam superbiam & levitatem, (non hoc agunt electi & pii parentes, sed impii & profani,) sed laudat, quòd docuit liberos *ambulare in veritate* Evangelii, & ex ejus præscripto vivere, secundum mandata Patris cœlestis, non ad carnis lubitum; & ut eam hic laudat, sic vehementer gaudet, quòd hoc invenerit, Deoque gratias agit. Sic 3. Joh. v. 3, 4. idem videre est de Gajo, quem Johannes sincerè dilexit.

Atque hoc videmus non in novo Testamento solum, sed & in Veteri. Cum Rex David olim videret liberalitatem populi, 1. Chron. 29: 10. quam in collecta ad ædificium Templi exhibuerunt, en summo perfunditur gaudio & lætus Deo gratias agit. Sic Psal. 122: 1. gaudet, quòd Jerosolymis omnia tam bene se haberent in divino cultu. Et ejusmodi testimonia produci possent plurima alia; ex quibus omnibus pater, hanc esse debere omnium Christianorum, præsertim Pastorum, curam & partes, ut gau-

deant cum Paulo, si Philemoni & Ecclesiæ ejus res bene cedit, si fratres in Christo bene vivunt, si in omni bono crescunt, &c. Et qui aliter fieri posset, siquidem

1. Hæc ratione gloria Dei Patris & Domini Jesu augetur, si homines in fide & charitate, omnibusque pietatis exercitiis crescunt. Et quid majorem parere lætitiâ deberet, quàm si videmus, nomen Dei extolli & amplificari, ejusque veritatem amari? Dei gloria finis ultimæ omnium actionum nostrarum, Col. 3: 17. 1. Cor. 10: 31. Prout ergo nomen Dei blasphematur & contumeliâ afficitur, si, qui de ejus nomine gloriantur, vitam ducunt profanam & impiam, prout Apostolus testatur de Judæis Rom. 2: 24. ex Ezech. 36: 23. & 20: 39. Sic è contrario Dei nomen honoratur, si, qui illud externè profitentur, talem agunt vitam & conversationem, quæ deceat professionem, imò quæ eam ornet secundum Christi mandatum Matth. 5: 16. Et prout piis omnibus, præcipuè Ministris, magnum parit dolorem, si vident, eos, qui Evangelio nomen dant ore externo, talem tamen vivere vitam, quâ Deus & Religio ignominia exponatur: Sic hoc ipsis gaudium affert, & ansam suppeditat gloriam Deo tribuendi, si contrarium vident.

2. Hoc modo alii commoventur ad sectandum eandem fidem & charitatem; is enim, qui exemplar est fidei & charitatis, etiam alios lucrificat ad bonum. Videmus in impiis, nullum ipsorum velle existere solum: ubi unus est, quærit socium alterum, seductus seducit alium, 2. Tim. 3: 13. Imò non requiescunt dum alios in societatem sceleris pertraxerint, Prov. 1: 10. Senecæ jam temporibus querela fuit, *homines vivere non ad rationem, sed similitudinem*. Contrarium reperimus in verè conversis: non requiescunt, sed omnem adhibent curam, ut & alios convertere, & conversos firmare queant. Sic de Davide Psal. 51: 15. & Petro, Luc. 22: 32. id quod diligenter fecit Petrus in duabus Epistolis suis:

Non abscondunt fructum & internam conversionis consolationem, sed cupiunt ut etiam alii ejus participes fiant, eumque in finem omnem movent lapidem. Sic Apostolus asserit de Thessal. 1. Epist. 1: 6, 7. de Corinthiis, 2. Cor. 9: 2. Qui semel fidem nacti & fideles facti, illi etiam alios lucrantur; id enim unicum ipsorum desiderium, ut etiam alii cum ipsis communionem habeant, & ipsi cum aliis, ut Rom. 1: 12. videre est; sic fert zelus ipsorum. Exemplo sit *Andreas*, qui conversus Simonem fratrem adducit, Joh. 1: 41, 43, 45. *Philippus* Nathanaëlem, Mulier Samaritana cives suos, Joh. 4: 28. En hi omnes mori commoverunt etiam alios, tracti alios traxerunt. Ideoque sufficiens sanè est causa lætitiæ & gratiarum actionis, si videmus alios ex nostris crescere in fide & charitate, siquidem & illi dein sint instrumenta, per quæ & alii Christo lucrifiant.

Rationes.  
1. Incrementum gratiarum facit ad gloriam Dei.

2. Adducit alios ad bonam frugem,